

***Scorzonera Codringtonii* RECH. fil., n. sp.**

Sect. *Tuberosa* LIPSCH. — Rhizomatis pars superior 2—3 mm crassa, 3,5—6 cm longa adest. Squamae basales non numerosae, tenuiter membranaceae, perlate triangulari-ovatae, 1,2—2 cm longae, basi ad 1 cm latae, prope basin dense fere gossypino-villosae, ceterum glabrescentes tenuiter atrobruneo-nervosae, apice acuminatae vel caudatae. Caules foliaque dense breviter hirsute tomentosi, cani. Folia plurima basalia 8—15 cm longa, ad summum 4 mm lata, flaccida, sublinearia, saepe longitudinaliter plicata, elevate nervosa, apicem versus sensim attenuata. Caulis valde abbreviatus arcuato-ascendens, pedunculos plures subscapiformes tenues elongatos arcuato-flexuosos 6—9 cm longos emittens. Folia caulina basalibus similia breviora. Involucrum floriferum \pm 1 cm longum, e phyllis 16—20 valde inaequalibus flaccidis patentibus compositum; exteriora e basi \pm dilatata lanceolata, acuta, herbacea, ad 2 mm lata, in interiora oblongo-linearia acuta sensim transeuntia, omnia herbacea, angustissime hyalino-marginata, appresse albo-lanato-tomentosa glabrescentia. Ligulae (in sicco) albae, atropurpureo-striatae, quam involucrum usque tertia parte longiores. Achaenia ignota. — Habitu similis *Scorzonerae Litwinowii* H. KRASH. & LIPSCH., a qua squamis basalibus perlatis tenuiter membranaceis, caulibus valde abbreviatis, indumento breviter hirsuto-tomentoso nec longe lanato-floccoso, involucri phyllis brevibus magis patulis, ligulis atropurpureo-violaceo-striatis nec flavis diversa.

Afghanistan: Band-e Amir, 30. VI. 1940 (CODRINGTON s. n., una cum *S. afghana* RECH. fil., Typus in hb. Mus. Brit.).

***Scorzonera afghana* RECH. fil., n. sp.**

Sect. *Pseudopodospermum* H. KRASH. & LIPSCH. — Rhizoma in tubera subglobosum 1,5—2 cm diametro dilatatum collo brevi squamis bruneis membranaceis ad 2,5 cm longis \pm 3 mm latis comoso vel collo subnullo. Folia omnia basalia, flexuosa, anguste linearia, 10—15 cm longa, saepe complicata vel involuta, \pm 2 mm tantum lata, crassiuscula, pallide olivacea, tenuiter paralleliter nervosa, cum scapis praesertim inferne floccoso-puberula, pilis stellatis \pm crispulis pro parte paululum patentibus. Scapi tenuiter filiformes, quam folia semper evidenter breviores. Involucrum minutum tenuiter cylindricum, floriferum 12—15 mm, fructiferum usque 22 mm longum, appresse tenuiter albellato-tomentosum, phyllis exterioribus ovatis acutis 3—5 mm latis, quam interiora plerumque plus quam dimidio brevioribus, herbaceis, angustissime scarioso-marginatis, apicem versus interdum glabrescentibus; phylla interiora ovato-lanceolata vel oblonga, obtusiuscula, latius hyalino-marginata, apice saepe aliquantum extus curvata. Ligulae roseae vel